

## CAPUT XIII.

De Cœnobio Cartusianorum hujus Urbis.

**C**artusia, quæ olim juxta Antverpiam fuit, in dextera Scaldis ripa in vico *Kiele*, domus S. Catharinæ nuncupata, migravit Lyram sæculo Christi decimo sexto. Illa verò quæ in urbe nunc splendide exædificatur, initium cœpit sub Carolo Audace, haud procul à Buscoduco anno M.CC. CC.LXXI. primum in *Eyckendonck* pòit in *Vucht*. Cumque aliquot annos antè Mahumetes subegisset Constantinopolim anno scilicet M.CCCC.LIII. voluit præfatus Princeps Carolus, novum cœnobium *Domum Sophiæ* appellari, eique dicari templum in memoriam celeberrimi illius Constantinopolitani. Captâ verò à Fœderatis Belgis Silvadicis, Cartusia illa migravit Antverpiam circa annum M.DC.XXXII. retento nomine *Domus Sophiæ*, utiturque etiamnum pristino sigillo, cui imago Salvatoris, cum hæc epigraphe circumcirca vetulitis teutonicis litteris incisa, **Salva nos eterna Sophia.**

Monuerim hic lectorem, templum Sophiæ Constantinopolitanum in honorem Dei Opt. Max. à Constantino Magno exstructum fuisse, non verò dicatum fuisse, S. Sophiæ quæ 1. Aug. colitur, matri SS. Virginum *Fidei, Spei & Charitatis*, quæ sæculo Christi secundo sub Principe Hadriano martyrij coronam adeptæ sunt, quarumque vitas scripsit Simeon Metaphrastes.

Cæterum libellus supplex Duci Carolo Audaci oblatu, ad impetrandam licentiam erigendi hanc Cartusiam, servatur etiamnum integer in archivis dicti Cœnobij, cujus exemplar manu propriâ excepi ex ipso authographo, ut hic exhibetur.

*Præpotentissime & gratiosissime princeps, petunt humillimè & affectuosissimè Illustris Dñs Arnoldus dux Gelrensis & Iuliacensis, & Comes Zutphanicæ &c. & totus sanctus ordo Carthusiensis à vestra generosa Celsitudine licentiam & admissionem erigendi parvum Monasterium duodecim Monachorum & familiae competentis ordinis Carthusiensis prope Buscoducum ferè per distantiam unius leucæ vel dimidiæ in quodam loco dicto Eyckendonck. De & ex Eleëmofinis per dictum Dominum Gelrensem filiumque ejus ac matrem ejus, ac illustrem Ducem Cliviensem collectis, & specialiter à quodam sacerdote quondam Canonico Buscoducensi. Insuper petunt humillimè predicti propter Deum & salutem animarum, licentiam possidendi & utendi licitè bonis jam habitis & justis titulis gratiâ Dei acquirendis, usque ad sobriam competentiam pro duodecim monachis & familia competente scilicet ad summam centum quinquaginta lib. fland. grossorum annuorum reddituum, sic tamen quod bona prædicta à juribus Principis & patriæ non eximantur, scilicet quod mancant cum talibus oneribus & juribus quibus fuerunt ab alijs possessa. Ac etiam eandem novellam plantationem cum omnibus suis causis & negotijs in vestram suscipere specialem Salviguardiam & protectionem. Insuper petitur ut vestra celsitudo dignetur de bona affectione oblatum titulum & honorem patronatus dictæ plantationis in se suscipere, ac eidem ut principalis fundator unum de sanctis cui magis afficitur, in patronum præficere & assignare. Qui patronus & sanctus propter honorem quem vestra generosa celsitudo ei in hoc ostendit, liberavit eandem vestram celsitudinem ab inimicis ves-*

tris, & postremo pacem & victoriam absque dubio dabit, quem patronum desiderant prædicti ut vestra Celsitudo in hac scedula propriâ manu signare & scribere dignetur. Non obstantibus in præmissis indultis quibuscumque, quod omolibet in contrarium facientibus ad laudem Dei, gloriosæ Virginis Mariæ, & Sancti Andreae, ac omnium Sanctorum, & pro salute animæ generosæ Celsitudinis vestræ & pace.

Huic libello manu propriâ subscripsit Carolus Audax hisce verbis, fiat ut petitur in honorem sanctæ Sophiæ Constantinopolis civitatis, CHARLES.

Vti didici ex ipso authographo quod etiamnum integrum servatur in archivo dicti monasterij, & in dorso scriptum habet manu cujusdam Prioris, servetur ut Aurum. Virtute præfati decreti expeditum hoc diploma:

Karolus Dei gratia Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgiæ, & Lucemburgiæ, Comes Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ, Palatinus Hanoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Namurci, Sacrique Imperij Marchio ac Dominus Frisiæ, Salinarum & Machliniæ: ad perpetuam rei memoriam, quoniam ubi est frequentia cultus divini, ibi sunt amor & timor Dei, in quibus totius sapientiæ initia Salutisque primordia consistunt. Desiderantes itaque fidem orthodoxam habundare ministris ad frequentes & devotas nobis porrectas preces Illustris Principis & consanguinei nostri carissimi Arnoldi Ducis Geldriæ, totiusque ordinis Cartusensis pro nobis successoribusque nostris Ducibus Brabantiæ favorabiliter annuentes, liberaliter concessimus & concedimus per presentes, quod in loco dicto **Eyckendonck Opden Dunghen** aut si ille locus propter frequentes ut accepimus inundationes aquarum, & inaccessibilitatem ejusdem tempore hiemali ad hoc minus aptus reperiatur, in alio loco magis propitio & convenienti per medium miliare aut circiter ab opido nostro Euscoducensi distanti: in honorem & laudem Salvatoris Christi ejusque intactæ matris virginis Mariæ, omniumque Sanctorum & Sanctarum, subque vocabulo & patrocinio S. Sophiæ civitatis Constantinopolitanæ, novum construatur & erigatur cænobium seu monasterium, cum cellulis, domibus, & ædificijs congruis & necessarijs pro habitatione unius Prioris & duodecim fratrum cum familia competenti ordinis Cartusienfis prædicti, cujus nos principalem fundatorem constituimus, quodque Cænobium seu monasterium cellulas, domos, & ædificia hujusmodi prædicti fratres eorumque successores unâ cum alijs redditibus & bonis jam ad ipsorum usus acquisitis & impofterum quomodolibet acquirendis, quæ tamen feudalia non sunt, pacificè & quietè possidere possint & valeant, usque ad valorem annuum mille florenorum Renensium, tam in agricultura, pratis, nemoribus, stagnis, vrvarijs, quam etiam quomodolibet alias, dum tamen ut præfertur redditus & bona prædicta feudalia non existant, & quæ bona & redditus acquisiti & acquirendi tributis subsidiisque nostris subjacebunt, sicut à prædecessoribus eorum fuerint possessa, nisi prædictis fratribus à nobis successoribusque nostris ampliorem gratiam desuper contigerit in futurum impetrare, fundum tamen monasterij cellarum & domorum religiosorum prædictorum à tributis & subsidijs prædictis eximimus, & de gratia speciali avellimus & libertamus per presentes, recipimus etiâ de gratia nostra speciali ipsum Cænobium seu monasterium, & bona ejusdem cum fratribus & eorum familiâ in nostrâ protectione, Salvagardiâ & tuitione speciali: Ea propter mandamus Præsidenti, Consiliarijs, Senescallo Brabantia, Sculteto Buscoducensi, cæterisque nostris Officiarijs & justitiam

tiam nostram exercentibus, ac alijs nobis quomodolibet subjectis quibuscumque, ut prefatos religiosos & familiam eorundem, ipsorumque successores presenti nostro indulto, concessione, patronatu, & Salvagardia premissis pacifice & quiete sui faciant & permittant, quoniam ita nobis placet, non obstantibus quibusvis indultis, gratijs, concessionibus, privilegijs, consuetudinibus, juribus municipalibus à nobis prædecessoribusque nostris prædicto opido nostro Buscoducensi vel alijs quibuscumque in contrarium præmissorum concessis vel promissis, quibus omnibus quoad præmissa per præsentem derogamus, juribus tamen nostris & privilegio in contrarium præmissorum opido nostro Buscoducensi ut asseritur concessio in alijs salvis & in suo robore & virtute permansuris. Datum in opido nostro Abbatisvilla anno ab incarnatione Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo in mense Septembri per Dominum Ducem. C. HAVTAIN.

Ceterum ex monumentis prefati cœnobij didici quod Canonicus ille, quem tacito nomine memorat libellus supplex supra exhibitus, fuerit appellatus *Ludolphus vande Water*, uti etiam quod ex primis benefactoribus hujus Cartusie fuerint præcipui *Arnoldus de Herlaer* Eques, ejusque conjux *Adelheidis Piecks*, & consentit *Aubertus Miræus* in orig. Cartusianorum monasteriorum per orbem universum cap. xi. excusus Coloniae apud Antonium Hieratum anno M.DC.IX. in octavo, & *Arnoldus Raissius* in originibus Cartusiarum Belgij excusus Duaci anno M.DC.XXXI. typis Martini Bogardi in quarto. Denique ad laudem hujus monasterij facit quod primus ejus Prior fuerit extraticus ille doctor *Dionysius Rickelius*.

Quod attinet ad institutum hujus Ordinis, nullum aliud in Ecclesia Romana reperitur vel exitit, quod in tanto sæculorum decursu à primitiva disciplina sua, & vivendi norma non declinaverit. Cœpit enim sæculo Christi undecimo, primumque monasterium fuit *Cartusia Major*, sita in monte vastæ solitudinis, densas inter silvas apud *Gratianopolim* in *Delphinatu*, regni *Galliæ* provincia. Quem locum donante *S. Hugone* Episcopo *Gratianopolitano*, incolere cœpit *S. Bruno* cum sodalibus suis anno Domini M.LXXXIV. ut in historia vitæ ejus legitur apud *Laurent. Surius*, die vi. Octob. Hujus loci Prior sive Præfectus totius Ordinis *Cartusiani* Princeps est atque *Antefignanus*, ibidemque generales Ordinis conventus quotannis celebrari solent. Hujusq; instituti ita meminit *Sigebertus* in chronico ad annū M.LXXXIV.

„*Bruno* in vasta eremo, quæ *Cartusia* vocatur, apud *Gratianopolim*, „monasterium & cellas ædificare incipit.

*Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis*, qui vixit tempore *S. Bernardi*, lib. 11. de miraculis cap. xxiii.

„*Servatur* in *Burgundiæ* partibus inter omnes *Europæ* nostræ monastici „ordinis professiones, professio quædam alijs ejusdem monastici propositi „sanctior & cautior, instituta nostro tempore à quibusdam Patribus mag- „nis, doctis & sanctis: *M. Brunone* *Coloniensi*, *Landuino* *Italico*, ac qui- „busdam alijs verè magnis, & Deum timentibus viris.

*Laurentius Leodicensis* qui floruit anno M.C.XC. in historia Episcoporum *Virdunensium*.

„*Cartusienensis* religio, mundo hæctenus inaudita, de sanctissima schola „Reverendissimi *Brunonis* processit, quæ in carne extra carnem, insolito „mortalibus more, vivendo angelos in terra, *Ioannem Baptistam* & *Paulum*

„Eremitam in deserto nobis hodie repræsentat: ut meritò hanc religionem  
 „florem mundi nomines, ut hanc esse animal simile aquilæ in cælum vo-  
 „lanti, jure pronunties.

Jacobus de Vitriaco S.R.E. Cardinalis, qui vixit anno Domini M.CC.  
 XX.

„Cartusianæ religionis rigor distinctionis, & distinctio rigoris, tamquam  
 „fornax Spiritus Sancti aurum purgans, & scoriam ex argento separans, fal-  
 „sos fratres diu retinere non potest, unde cella comparatur mari, quod mor-  
 „ticinum, quantocius projicit.

Franciscus Petrarcha qui vixit anno M. CCC. L.

„Ordo Carthusiensis est, quem nemo deceptus, nemo invitus intrat, in  
 „quo nemo perseverare sictus potest.

#### C A P U T X I V.

*De Cella S. Mauri, quæ olim in hac urbe fuit.*

**D**Idici ex monumentis Monasterij Affligemienſis, quod olim in hac  
 urbe fuerit cœnobitica mansio seu cella, ut veteri verbo utar, Or-  
 dinis S. Benediæti D. Mauro dicata, Affligemienſi Abbati subjecta.  
 Porro quo sæculo cœperit aut desierit, assequi non potuimus: opinantur aliqui  
 durasse solum ad annum M. CC. XC. in parochia castri, in loco qui in ho-  
 diernum diem vocatur *Het Hoff van Affligem*, qui tandem ad alios usus  
 accommodatus fuit, & in plures ædes diuisus, quarum proprietas tamen  
 penes Affligemienſes mansit ad annum M. D LXXX. quando X. Iunii, in  
 auctione publica, habitâ die veneris in foro vestiariorum, prædia illa acqui-  
 siverunt heredes Ægidij Hofman, qui postmodum illa transcripserunt Ioanni  
 Vanden Wouwer, à quo aut heredibus transiverunt ad Ioannem Della  
 Faille, cujus liberi etiamnum aliqua ex illis possident. Propter mansionem  
 illam, quam Affligemienſes in hac urbe olim habuerunt, facile crediderim  
 concessam illis fuisse immunitatem Thelonei in Zelandia à Toparchis de  
 Valckenisse, quandoquidem ad ipsum monasterium Affligemienſe nullæ na-  
 ves accedere possint aut unquam accesserint: utpotè edito in loco situm,  
 nisi velimus potius credere naves Alostum usque processisse, unâ tantum leu-  
 câ distitum à cœnobio Affligemienſi, quod donatum ab Aleyde Regina mul-  
 tis agris in Anglia, frequenter inde fruges recipiebat. Immunitatis prædictæ  
 diploma subjungimus.

*Universis presentes litteras inspecturis & audituris, Witto de Valkenisse Mi-  
 les, Arnoldus frater ejus, Nicholaus de Staples, Ioannes filius Kimpe, Nicholaus  
 & Wilhelmus fratres ejus. Salutem & cognoscere veritatem. Noverit universitas  
 vestra quod nos ob remedium animarum nostrarum, & omnium Prædecessorum  
 noſtrorum, concessimus viris Religiosis Abbati & Conventui Monasterij Haſſligemi-  
 enſis, quod per Thelonea nostra quæ percipere possumus & solemus in aquis contra  
 Valckenisse, quæ Honte vulgariter appellatur, res ipsorum qualescumque, sex  
 quæcumque fuerunt, sive qualibet solutione thelonei, vel exactione, liberè valeant  
 in perpetuum prætransire. Hæc tamen conditione annexâ, quod si cum rebus ipso-  
 rum*